

CAP. IV.

De Fine Bonorum et Malorum.

63.

Vna superest, de qua in hac contemplatiua Iuris naturae parte dicendum videtur, quaestio ea, qua in scholis Philosophorum veterum nihil celebrius fuit, nihil maiori animorum motu disceptatum: qui sit *bonorum malorumque finis*, in quo *summum bonum et malum* positum sit. Septem autem a Cicerone (*) sententiae ponuntur. Et tres quidem fines honestatis expertes: vnus Aristippi vel Epicuri, *in voluptate* positus: alter Hieronymi, *in indolentia et vacuitate doloris*: tertius Carneadis, *in usu principiorum naturalium*: tres, in quibus honestas cum aliqua accessione: Polemonis, *in tribus generibus bonorum, maximis animi, secundis corporis, externis tertiis*: Calliphontis, *in honestate, quae voluptatem adiunctam habeat*: Diodori, *in honestate cum indolentia*: vnus simplex: cuius Zeno auctor, positus in decore totus, id est, *honestate*. Nam reliquorum sententiae iam Ciceronis tempore diu abiectae euanuerant. Has sententias si inter se contendas, et, quid quisque ad opinionem suam stabiliendam defendendamque attulerit, consideres, intelligas profecto, in his, de finibus bonorum et malorum, controuersis, de vocabulis magis, quam de rebus ipsis, disputatum esse.

(*) De Finib. B. et M. II, II.

64. Nam